

requisitis, et quod in eadem capella vos vel successores vestri cum vestris et suis familiaribus missas et officia ipsa libere et licite possetis audire per nostras litteras duximus indulgendum, ius patronatus seu praesentandi eundem presbyterum seu rectorem pro tempore ad eandem capellam, postquam ut praemittitur constructa et dotata foret, vobis et eisdem successoribus perpetuo reservantes, iure tamen parochialis ecclesiae in omnibus aliis semper salvo, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper vestra petitio continebat, licet vos capellam huiusmodi in teatro et loco praedictis dictarum litterarum vigore de bonis praedictis iam aedificari feceritis assignata per vos eidem capellae sufficienti dote praedicta, tamen dilecti filii . . praepositus et conventus monasterii sancti Thomae in Lipzk per praepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Merseburgensis diocesis, qui parochiales et alias ecclesias dicti opidi se in proprios usus tenere praetendunt, quominus eadem capella consecrari possit ac missa et alia praedicta officia per huiusmodi presbyterum coram vobis ibidem valeant celebrari contra iustitiam impedire praesumant, pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut vobis super hoc providere de oportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati vobis consecrari faciendi hac vice duntaxat dictam capellam per aliquem catholicum episcopum gratiam et communionem dictae sedis habentem de quo vobis videbitur, etiam si idem episcopus pontificalia officia extra suas civitatem et diocesan de mandato apostolico minime valeat exercere, constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac aliis contrariis non obstantibus quibuscunque tenore praesentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum etc. Si quis autem etc. Datum Romae apud sanctum Petrum III. Non. Maii pontificatus nostri anno quinto.

R<sup>ta</sup>

Eckardus.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig. Das an Fäden von rother und gelber Seide befestigt gewesene Siegel ist abhanden gekommen.

No. 103. 1394. 17. Juli.

*Drei Bischöfe ertheilen denen, welche bussfertig die Capelle auf dem Rathhause in Andacht besuchen, vierzigägigen Ablass.*

Nos Nicolaus Cathosiensis, Luppoldus Lauacensis et Johannes Lidoricensis dei et apostolicae sedis gratia ecclesiarum episcopi omnibus Christi fidelibus, ad quos praesentes nostrae litterae pervenerint, praesentibus et futuris salutem et sinceram in domino caritatem. Quoniam ut ait apostolus omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus sive bonum fuerit sive malum, oportet nos ideo diem messonis extremae misericordiae operibus praevenire et aeternorum intuitu seminare hic in terris, quod reddente domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in coelis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat parce metet et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet vitam aeternam. Cupientes cappellam in teatro Lipcensi sitam et in honore gloriosissimae virginis Mariae